

genit Roboam regem, et ita de cæteris ejus posteris. « Lucerna » ergo appellatur hic successio regni posteriorum Davidis, que erat quasi lucerna et quasi residuum quoddam lucis, id est splendoris et gloria Davidis refulgens in Jerusalem. Ita Cajetanus.

38. **EDIFICABO TIBI DOMUM FIDELIUM**, — id est familiam regalem, continuam et stabilem, ut scilicet posteriori tui in regno decem tribuum continua serie succedant. Mirum est, quod Jeroboam et Principes ei similes non credant hisce Dei, qui prima est veritas, verbis et promissis; sed contrariis modis per impietatem, fraudes et scelera conentur sibi parare regni regique sobolis stabilitatem; quo fit, ut Deum contra se concitent, itaque ab eo funditus everdantur, uti configit Jeroboam, omnibusque regibus Israel ejus successoribus.

39. **ET AFFLIGAM SEMEN DAVID SUPER HOC**, — id est propter hoc, scilicet propter te, si mihi fueris fidelis, q. d. Si mihi fideliter servieris, te exultabo, et posteris Davidis æmulos tuos humiliabo et depravabo.

VERBATIMEN NON CUNCTIS DIEBUS. — Rabbinii in *Seder-Olam*, cap. xv, hoc referunt ad regnum Asa regis Juda, qui valde regnum Juda exevit. Sallianus et alii referunt ad Ezechiam; nam ejus anno sexto decem tribus abductæ sunt in Assyriam, tuncque desit regnum, et reges decem tribuum æmulæ regem Juda. Mystice, hoc maxime impletum est a Messia, puta a Christo, qui quasi Davidis filius rursus regnavit super totum Israel, universumque orbem, ab eoque colitur ut Deus, Messias et Rex regum. Ita Cajetanus, Abulensis, Scartius et alii. Unde a Christo in cælum ascensuro querebant discipuli: « Domine, si in tempore hoc restitues regnum, Israel? » *Actor. 1.*

Porro Deus tam serio Jeroboam inculcat veram sui religionem et cultum, quia prævidebat eum schisma facturum a Deo et templo propter regnum, cum tamen Deus vellet per eum schisma a Salomone in Dei cultu factum resarcire. At cur Deus id presciscens nihilominus eum regem constituit? Respondeo, ut puniret populum, eique impio similem, scilicet impium daret regem, æque ac jam ante eum dederat impium Saulem, ait Rupertus, et ex eo Sallianus. Populus enim jam magna ex parte erat corruptus, tam regis imitatione, quam propria malitia, ad quam eum pellexit olium, delicia, eterum omnium abundantia. Volens ergo Deus castigare populum impium, dedit regem Jeroboam, qui populi cupidinibus et desideris ad idola colenda obsequeretur, itaque fot calamitatum, et tandem extremi excidii eidem fieret causa, juxta illud *Job xxxiv, 30*: « Qui regnare facit hypocritam (id est impium) propter peccata populi. »

40. **VOLUIT ERGO SALOMON** (re intellecta, quod scilicet Ahias Jeroboamo detulisset regnum decem tribuum) **INTERFICERE JEROBOAM**, — quasi regni sui æmulum et invasorem. Addit Chaldeus,

Cant. cap. viii, vers. 12, eum quoque voluisse occidere Ahiam, eo quod ipse regnum detulisset, ideoque Ahiam pariter fugisse in Egyptum: sed de Ahia nil habet hic Scriptura; est tamen id probabile. Nam delicati sunt reges, et quoslibet etiam sanctos, qui alios reges inducere satagunt, persequuntur, ut perduellionis reos; qui enim tangit regnum, tangit pupillam eorum. Verum hæc magna, ait Dionysius, fuit Salomonis execratio, ambitio et impatientia, quasi vellet et posset impedire propositum Dei de regni divisione.

41. **IN LIBRO VERBORUM** (id est factorum vel gestorum) **SALOMONIS**, — puta in Diariis, Chronicis et Annalibus Salomonis.

43. **DORMIVITQUE** (somo mortis) **SALOMON CUM PATRIBUS SUIS**, — anno ætatis 60, aiunt Lyranus, Abulensis, etc. Narrant Zonaras et Cedrenus, ejus sepulchrum sub Hadriano Imperatore dissilisse ac concidisse, eamque rem motus et tumultus Judæicos portendisse. Sic et Dio in *Hadriano*, lib. LXIX, de Judæorum desertione tractans, ob quam omnes fere ab eo interempti sunt, et tota Judæa desolata. « Id eis, inquit, antequam bellum gereretur, fuerat denunciatum ex eo quod monumentum Salomonis, quem illi summa reverentia colunt, sua sponte divisum corruerat. »

Figuram et formam Salomonis ex *Cant. v, 40*: « Dilectus meus candidus et rubicundus, » etc. Ita colligit Pineda, lib. VI, cap. iv, et ex eo Sallianus. Salomon fuit colore candido et rubicundo, natura calida et humida, sed paulo calidior, cæcario densa; capillis aurescentibus, et modice crispantibus, sicut elata palmarum; oculi justa magnitudinis, implentes orbem suum, splendentes ac cæsi, leni placidoque intuitu; genæ efflorescentes atque hilares, sicut lilia mixta rosis: labia ejus tenuia et mollia, ut rubentia Syriæ lilia; os ipsum afflans suavis odoris halitum; manus delicate, molles, articulate, quasi toro polite; digiti longiores, deductiora brachia; pectus et thorax candida, velut pixis eburnea, moderate magnitudinis et formæ; crura illius quasi columnæ marmoreæ, vel Parie candidissimæ; pedes sicut bases aureæ elaboratissime, mediocris magnitudine; incessus firmus et constans; statura proceræ et erecta; vox suavissima; dignus qui speciosum forma præ filiis hominum representaret. Sed pleraque horum supervenientes anni vitiaque Salomoni ademerunt: ac præsertim effusa libido atque morbi, merores et angores ob idololatriam illi a Deo in senio immissi: unde Ecclesiasticus, cap. XLVII, ejus elogium hæc flexibili catastrophe librenoque concludit: « Et inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, profanasti semen tuum inducere inacidum ad liberos tuos, et incitasti stultitiam tuam, ut faceres imperium bipartitum. » Vide ibi dicta.

Sub annum regni Salomonis vigesimum natus Sab 8-

est Homerus, poeta Græcorum sapientissimus, quem passim imitato et Latino versu consecutus est Virgilius, Latinorum poetarum princeps. Quare de Homeri natali loco certant septem Græciæ urbes, nimirum « Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamina, Chios, Argus, Athenæ: » Imo letas, id est insule Io, Homero aram exultasse, eique quasi deo sacrificasse, testatur Gellius, lib. III, cap. xi. Homero cœvus et suppar fuit Hesiodus. Ita decessit ut sub Salomone Hebræorum, imo mortalium omnium, sapientissimo, sapientia apud Græcos nasceretur, indeque ad Latinos transferretur. Ita ex S. Cyrillo, lib. VII *Contra Julianum*, et aliis Sallianus anno Salomonis vigesimo, qui fuit ab excidio Troje annus 468, ante Romam conditam 460, tunc quoque regnabat in Latio sextus rex Sylvius, Æneæ Sylvii filius, ac Dido condidit Carthaginem, ait Eusebius in *Chronico*. Denique Josephus, lib. VIII, cap. iii, hoc Salomoni epiphonium ponit: « Meritum Salomon regum omnium felicissimum, opulentissimum et prudentissimum, excepto peccato, ad quod a mulieribus jam senescens pertractus est. » Jam ante proclamarat, totique mundo concionatus erat Salomon: « Vanitas vanitatum et omnia vanitas, »

et tamen vanitas vanaque species multorum eum in senio dementavit, vanunque reddidit, ut seipsum fecerit summum vanitatis speculum. Evanuit enim ejus sapientia, evanuit ejus sanctitas, evanuit ejus potentia, evanuit ejus felicitas et gloria, evanuit denique sanitas et vita præsens, utinam non æterna. Quid est homo etiam sapientissimus, distissimus, potentissimus, si Deum deserat, et a Deo deseratur? utique non est aliud quam mancipium vanitatis, imago stultitiæ, præda mortis, ærumnarum abyssus. Oh! si Salomoni liceret ad vitam redire, qualem aueret penitentiam, qualem institueret vitam, quid mortalibus inelamaret! utique illud S. Salvii a morte ad vitam revocati apud Gregorium Turonensem, lib. VII *Histor. cap. 1*: « Audite, filii Adæ, et intelligite, quia nihil est quod cernitis in hoc mundo; sed omnia vanitas. Omnia ergo ut vana contemnite, ut veram gloriam Dei mereamini adipisci in cælo. » Vana sunt sceptræ, vana tiaræ, vana Venus, vana opes, vana vana, vanus orbis universus. « O curas hominum, o quantum est in rebus inane! » Nil verum, nil bonum, nil magnum, nisi æternum. Æterna cogitate, æterna ambite: ut Deus vos beet in æternum, per omnia sæculorum sæcula. Amen.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Populus a Roboam poscit tributum gravium Salomonis relaxationem: ille negat et duriora minatur; quare decem tribus, eo relicto, regem sibi creant Jeroboam: parat contra eum bellum Roboam, vers. 21: sed revocat eum Deus per Semeiam prophetam. Moz, vers. 27, Jeroboam metuens ne populus, veniens ad templum, rediret pariter ad Roboam, vitulos aureos quasi idola erigit in Dan et Bethel.

1. Venit autem Roboam in Sichem: illic enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum eum regem. 2. At vero Jeroboam filius Nabat, cum adhuc esset in Ægypto profugus a facie regis Salomonis, audita morte ejus, reversus est de Ægypto. 3. Miseruntque et vocaverunt eum: venit ergo Jeroboam, et omnis multitudo Israel, et locuti sunt ad Roboam, dicentes: 4. Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, et de jugo gravissimo quod imposuit nobis, et serviemus tibi. 5. Qui ait eis: Ite usque ad tertium diem, et revertimini ad me. Cumque abiisset populus, 6. inivit consilium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre ejus, cum adhuc viveret, et ait: Quod datis mihi consilium, ut respondeam populo huic? 7. Qui dixerunt ei: Si hodie obediæris populo huic, et servieris, et petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus. 8. Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, et adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, et assistebat illi. 9. Dixitque ad eos: Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi: Levius fac jugum quod imposuit pater tuus super nos? 10. Et dixerunt ei juvenes qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes: Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu releva nos. Sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. 11. Et nunc pater meus posuit super vos jugum

gravē, ego autem addam super jugum vestrum : pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cedam vos scorpionibus. 12. Venit ergo Jeroboam, et omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens : Revertimini ad me die tertia. 13. Responditque rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant. 14. Et locutus est eis secundum consilium juvenum, dicens : Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro, pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cedam vos scorpionibus. 15. Et non acquievit rex populo; quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Abiæ Silonite, ad Jeroboam filium Nabat. 16. Videns itaque populus quod nolisset eos audire rex, respondit ei, dicens : Quæ nobis pars in David? vel quæ hereditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua. 17. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam. 18. Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat super tributa: et lapidavit eum omnis Israel, et mortuus est. Porro rex Roboam festinus ascendit curram, et fugit in Jerusalem: 19. recessitque Israel a domo David, usque in presentem diem. 20. Factum est autem cum audisset omnis Israel, quod reversus esset Jeroboam, miserunt, et vocaverunt eum congregato coetu, et constituerunt eum regem super omnem Israel, nec secutus est quisquam domum David præter tribum Juda solam. 21. Venit autem Roboam Jerusalem, et congregavit universam domum Juda, et tribum Benjamin, centum octoginta milia electorum virorum bellatorum, ut pugnarent contra domum Israel, et reducerent regnum Roboam filio Salomonis. 22. Factus est autem sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: 23. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, et ad omnem domum Juda, et Benjamin, et reliquos de populo, dicens: 24. Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel; revertatur vir in domum suam, a me enim factum est verbum hoc. Audierunt sermonem Domini, et reversi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus. 25. Edificavit autem Jeroboam Sichem in monte Ephraim, et habitavit ibi; et egressus inde edificavit Phanael. 26. Dixitque Jeroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David. 27. Si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem; et convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam regem Juda, interficientque me, et revertentur ad eum. 28. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, et dixit eis: Nolite ultra ascendere in Jerusalem; ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 29. Posuitque unum in Bethel, et alterum in Dan. 30. Et factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan. 31. Et fecit fana in excelsis, et sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi. 32. Constituitque diem solemnem in mense octavo, quinta decima die mensis, in similitudinem solemnitatis, quæ celebrabatur in Juda. Et ascendens altare, similiter fecit in Bethel, ut immolaret vitulis quos fabricatus fuerat: constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum quæ fecerat. 33. Et ascendit super altare quod extruxerat in Bethel, quinta decima die mensis octavi, quem fixerat de corde suo; et fecit solemnitatem filiis Israel, et ascendit super altare, ut adoleret incensum.

1. VENIT AUTEM ROBOAM IN SICHEM.—Sichem enim erat locus Patriarcharum incolatu et sepultura celebris, et quasi sacer; unde illic conventum egit Josue, cap. ult. vers. 1; Abimelech, *Judic.* cap. ix, vers. 1. Igitur hic Israelite comitia regni celebrant in Sichem, ut ibidem Roboam sibi regem creant.

4. PATER TUUS DURISSIMUM JUGUM IMPOSUIT NOBIS.—Salomon enim ad suam et mille uxorum suarum magnificentiam in vestitu, mensa, famulis,

equis et curribus sustentandam, immania populo tributa imposuerat, a quibus ex parte liberari hic jure suo postulat populus.

7. SI HODIE OBDIERIS POPOLO, etc., LOCUTUSQUE FUERIS AD EOS VERBA LENA, ERUNT TIBI SERVI CUNCTIS DIEBUS.—Prudentissimum fuit hoc senum consilium, quia utilissimum, tum ad tollendam populi exacerbationem contra Salomonem et Roboam, tum ad oppressionem ejus sublevandam. Nimia enim tributa exsugunt subditorum ope,

spiritum et sanguinem, ac subinde vitam: quare his eorumque tributis et servitibus privat se rex, dum eos fisdem opprimit. Commoditas enim subditorum est bonum et commoditas principum; quare lenitas et clementia est summa dos principum, qua subditos sibi conciliant, ut regi se sistant, et ad omnia principis sui jussa exsequenda faciles se præbeant. Prudentia politica ergo dicat, ut a lenitate auspiceris regnum, ac lenitate tibi subditos devincias; postea jam tibi devinctis onera necessaria facile imponens. Notum est illud Luciani:

Nil pudet assuetos sceptris; mitissima sors est Regnorum sub rege novo.

Longum enim imperium robur sibi comparavit et auctoritatem, æque ac audaciam quilibet imperandi: recens vero sensim lenitate hæc tria sibi comparare debet.

Audi S. Hieronymum, *epist.* 62, Episcopi ejusdem clementiam in subditos celebrantem: «Amari, inquit, parens et Episcopus debet, non timeri. Antiqua sententia est: Quem metuit quis, odit; quem odit, perisse cupit. Unde et in nostris litteris cum initia parvulorum in timore consistant, perfecta dilectio foras mittit timorem. Non quaeris pueros tibi esse subjectos, et ideo magis subjectos habes. Tu offers osculum, illi colla submittit; exhibes militem, et duem impetras; quasi unus in pluribus es, ut sis unus ex pluribus. Cito indignatur libertas, si opprimitur. Nemo plus impetrat a libero quam qui servit non cogit. Novimus canones Ecclesiasticos, non ignoramus ordines singulorum, et lectione et quotidianis exemplis multa didicimus, multa usque ad hanc aetatem experti sumus. Qui scorpionibus cedit, et lumbis patris habere se putat digitos crassiores, cito regnum mansueti David dissipat. Certe Romanus populus ne in rege quidem superbiam trahit. Dux ille Israelitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, et ad ejus imperium caelum et terra et maria serviebant, inter cunctos homines quos tunc terra generavit mansuetissimus predicatur; et ideo per quadraginta annos obtinuit principatum: quia potestatis superbiam lenitate et mansuetudine temperabat. Lapidabatur a populo, et pro lapidantibus rogabat, quia potius deleri ipse vult de libro Dei, ne commissus sibi grex pereat; cupiebat enim illum imitari pastorem, quem seibat etiam errantes oves suis humeris portaturum: Pastor, inquit, bonus ponit animam suam pro ovibus suis.»

8. QUI DERELIQUIT CONSILIIUM SENUM, ET ADHIBUIT ADULESCENTES, QUI NUTRITI FUERANT CUM EO.—Vide hic stultitiam et fastum Roboam, qui maturo senum consilio spreto, sequitur juvenilem et stolidam adolescentium sententiam, ideoque subditos offendit, avarit, et ad Jeroboam sibi regem creandum adegit. Vide ergo hic vanitatem a Salomone prædictam, in ipsomet impletam: quam descri-

bit Ecclesiastes, cap. ii, vers. 18, dicens: «Narus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus heredem post me, quem ignoro utrum sapiens, an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui: et est quidquam tam vanum!»

Audi Spartianum in *Særo*: «Reputanti mihi, Diocletiane Auguste, neminem prope magnorum virorum optimum et utilem filium reliquisse, satis claret. Denique aut sine liberis viri interierunt, aut tales haberunt plerique, ut melius fuerit de rebus humanis sine posteritate decedere.»

Hebraeorum est gnomo; sicut bona sunt quatuor, scilicet opes, scientia, senum consilium, animus danissus, sic ex adverso quatuor sunt mala eis contraria, scilicet paupertas, ignorantia, juvenile consilium, et animus superbus, quæ Republicam æque ac privatim quemque everunt: uti Romanum imperium eversum est per juvenes imprudentes et arrogantes. Hinc in portico tabernæ memorie, in qua olim alebantur veterani et emeriti milites, olim hæc carmina litteris aureis descripta erant:

Roma velis, veleres dum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ilius erit.
Defensis patribus successit parva juvenas,
Cujus consilio præcipitata ruis.

Vide Ciceronem, lib. *De Senectute*, Plutarchum in *Nicia*, et Thucydidem, lib. VI. Hæc de causa Augustus Caesar, teste Suetonio, consiliarios habuit graves et senes, Agrippam et Mecænam, quorum consiliis tanta et tam præclara gessit: unde his mortuis in infamiam ob filie libidines prolapsus ingemit, dicitans sibi hanc infelicitatem non fuisse obvoluturam, si Agrippa et Mecænas vixissent.

Cresus Lydorum rex, nimia felicitate ebrinus Solonis senis sapientissimi monita negligens, ac juvenibus ipsis potentie adulationibus aures prebens, dum Cyri imperium perdere conatur, suum perdidit. Itaque sublatus in pyram, ut illic vivus cremaretur, inclamato Solonis nomine, et re tota detecta, singularem victoris Cyri clementiam expertus est, uti refert Herodotus, lib. I.

Si Xerxes patri sui senis Artabani prudentia consilia, quam juveniles Mardonii adulationes audire malisset, utique Græcos bello tot centurorum millium non lacerasset, nec e Græcia summa cum infamia fugere coactus fuisset, teste Herodoto, lib. VII.

Dionysius Siciliæ tyrannus, si Platonis senis sapientissimi consiliis obtemperasset, acceptum a patre imperium liberis suis firmis reliquisset, at quia ipsi juvenum adulationes anteposuit, regno dejectus, compulsus est fieri ludimagister.

Felicitate imperatæ Nero, si senis Senecæ et Burri consiliis percepto, ut ceperat, parasset. At dum eis primo rejectis, danda interfectis, ju-

venis juvenum adulantium voces sequitur, sibi acceleravit exitum, et perpetuam apud posteros ob tot flagitia et dedecora infamiam peperit. Ita Suetonius in ejus Vita.

Quocirca sapienter Cornelius Tacitus: « Adulatio, inquit, perpetuum malum principum, quorum res sepius assentatio quam hostis everit. » Et reges abundant omnibus rebus in aula, excepta veritate. Quid Neronem castissime educatione crudeliter fecit? Adulatio. Quid Caesarem contra patriam rebellare fecit? Adulatio. Quid Roboam tyrannum reddidit? Adulatio. In aula igitur unus Clytus preferendus sexcentis Aristippis. Vere Ovidius:

Agmen adulentium media procedit in aula.

10. MINIMUS (Hebraice קטני *katanni*, id est parvus, sive minimus, scilicet) DIGITUS MEUS GROSSIOR EST DORSO PATRIS MEI, — est adagium, *q. d.* Ego multo sum fortior et excellentior patre meo: ego majorem habeo majestatem et magnificentiam prae illa quam habuit pater: quare majora vobis imponam tributa et onera, quam imposuerit pater meus Salomon. Unde Chaldeus vertit, *debitus mea fortior est robore patris mei*: Septuaginta, *parvitas mea grossior est dorso patris mei*; Valabius, *exiguam meam grossius erit lumbis patris mei*. Ecce ut faustus Roboam faciat solidum et stultum.

11. EGO CEDAM VOS SCORPIONIBUS, — id est *flagris aculeatis*, ut vertit Valabius. Vox haec dignior est carnificis, quam regis.

12. QUE NOBIS PARS IN DAVID, VEL QUE HEREDITAS IN FILIO ISAI? — *q. d.* Que nobis est communitio, que societas, que spes et utilitas in Davidis stirpe, puta in Roboam, ut eum nobis regem creemus? *q. d.* Nulla: non ergo illum nobis regem constituamus. Contemplim Davidem vocant « filium Isai, » sive Jesse, *q. d.* David fuit vir plebeius et pauper, utpote filius Jesse civis nostri: nos eum eveximus in regem, ut nos protegeret: jam autem Roboam ejus nepos ob Davidis nomen insulescens, nos non protegit, sed laniat et diripit. Cur eum igitur nobis regem statuamus, eo quod sit e familia Davidis, cum recenter illa a nobis ad regnum sit promotum. Deprimamus ergo eum eum sua familia, ac redigamus in ordinem, et ad statum pristinum vite plebeiae reducamus, atque ex alia familia modestiorem et benigniorem nobis regem eligamus.

NUNC VIDE DOMUM TUAM DAVID. — Chaldeus, *nunc regna super viros domus tuae David*; Septuaginta, *nunc passe* (id est rego) *domum tuam David*, *q. d.* Tu, o Roboam filii Davidis, rege tuos contribules, puta tribum Juda; nos decem tribus de alio clementiore nobis providebimus.

13. RECESSITQUE ISRAEL A DOMO DAVID, — pro Roboam creans sibi regem Jeroboam.

Queres, an decem tribus licite fecerint schisma, sequae separarint a Roboam, qui erat legitimus regni haeres et Salomonis successor? Respondet

Abulensis id licite eos fecisse: quia ipsi, inquit, liberi erant: Roboam vero volebat eos in servitutem redigere: poterant ergo ab eo recedere: Roboam enim vel republica regem creans illi dedit imperium et jus regendi. Ergo illa idipsam ei potest auferre vel minuire, si is eo abutatur in populi perniciem: populus enim non absolute, sed certis conditionibus se principi regendum tradit, quas si princeps non servat, potest eum abdicare. Haec Abulensis de quibus alibi dicendum. Verius dicas id factum esse ex voluntate et decreto Dei, ut patet vers. 24.

Præclare monet Principem Cornelius Tacitus, lib. IV. *Annal.*: « Dura, inquit, vectigalia populo non imponant: nimia enim in exigendo tributo severitas, et nimium ipsum tributum impositum movet subditos frequenter ad seditionem. »

20. PRÆTER TRIBUM JUDA SOLAM. — Adde, et Benjamin: haec enim unita cum Juda unum cum eo constituit regnum (1).

26. DIXITQUE JEROBOAM IN CORDE SUO: NUNC REVERTETUR REGNUM AD DOMUM DAVID.

27. SI ASCENDIT POPULUS ISTE UT FACIAT SACRIFICIA IN DORSO DOMINI IN JERUSALEM. — Timuit Jeroboam, ne populus vadens Jerusalem ad templum rediret pariter ad regem Roboam regnante in Jerusalem, diceretque: Volumus adherere Jerosolyma et templo: ergo et regi ejus impositum: hinc jussit ne quis adiret Jerusalem et templum, sed ut in Dan et Bethel vitulus a se erectus omnes sacrificarent. Videbatur hoc ejus consilium politicum prudens, et ad regnum suum statuque politicum tuendum salutare: sed revera fuit imprudens et perniciosum, statumque et regnum ejus prorsus labefactavit et everit. Hoc enim ei comminatus erat Deus, « in cujus manu sunt omnium jura regnorum, » et ita contigit: nam quia Jeroboam ad schisma regni sui tuendum, fecit schisma pariter in religione et fide, idcirco « deleta est » universa ejus « domus » et familia « de superficie terrae, » ut dicitur cap. XIII. Regnavit eum ipse 22 annis duntaxat cum multis doloribus et incommodis. Successit ei filius Nadab, qui vix per biennium regnavit, et a servo suo Baasa regno et vita privatus est, qui mox omnem familiam Jeroboam adeo extinxit, ut ne unus quidem ex ea fuerit superstes, ut jam ante idipsam ei per Ahiam prophetam Deus comminatus fuerat: quae omnia patent III *Regum*, cap. xv, vers. 25 et seq. Fuit ergo ipse stolidus atque ac impius, quod Deo promittente stabilitatem regni in posteris suis, si sibi soli serviret, non crederet. Esto enim populus ejus ivisset in Jerusalem adoratum Deum in templo, tamen Deus populum ipsi subjectum et obedientem

(1) Regnaverunt Roboam et ejus successores etiam super advenas aliarum tribuum qui eo migraverant, et in partem ditiosis Simeonis et Levi. Quiae etiam Israelitarum remeant consolos se prebere cultui vitulorum Jeroboam, recipientes se in ditium Juda ceteris Roboam subditis accesserunt.

tem fecisset, impedivissetque ne ad Roboam rediret: hoc enim expresse ei promiserat, ac mille modos id præstandi in mente et manu habebat. Talia fere sunt consilia politicorum et Machiavelistarum (quorum iste Jeroboam clarissimum est exemplar) qui religionem faciunt servire politicae, et talem fidem et religionem amplectantur, qualem regno vel obtinendo, vel retinendo, vel augendo, aliisque scopis sibi propositis putant aptiorem. Etsi enim eorum consilia initio videantur speciosa et utilia, tamen plerumque successu temporis maximis difficultatibus principes involvunt, et eis perniciem afferunt ita disponente divina Providentia, quae omnibus hominum consiliis dominatur. Audiant ipsi Nazianzenum in laudem S. Athanasii, *orat.* 21: « Constanlius Imperator, inquit, de tribus in morte doluit; primo, quod propinquus suis necem intulisset; secundo, quod Julianum Apostatam imperatorem nominasset; tertio, quod novis fidei dogmatibus studisset, simulque cum his vocibus et vita discessit. Princeps enim religionem roborando, ab eo quoque roboratur. » Jeroboam in schismate secuti sunt Donatiste de quibus S. Augustinus, *epist.* 171: « Donatiste, ait, Episcopum contra Episcopum ordinarunt, altare contra altare creaverunt, » et hinc « in civitate Carthaginiensi, in capite Africae, » sicut Jeroboam crexit altare contra altare.

Denique veram religionem, et hinc cultum et pietatem, regni et republice esse fundamentum docet S. Augustinus, lib. I *De Civit.* et seq., S. Ambrosius, *De Fide ad gratianum*, S. Cyrillus, *Ad regnum*, quin et Philosophi. Audi Platonem, lib. IV *De Legibus*: « Ante omnia Deum invocemus, ut civitatem nostram stabiliamus, obsecremusque ut nos exaudiat, et nobis propitius sit atque benignus, ad nos veniat et leges ipse nos doceat, nostramque civitatem adornet. » El Mercurium Trismegistum apud Rhodigum, lib. IX, cap. XIX: « Est hominis mensura ante omnes religio, quam sequitur bonitas: ea demum tunc videtur esse perfecta, si etiam cupiditatem omnium alienarum rerum respectui habeat virtute munita. Unusquisque pietate, religione, prudentia, cultu et veneratione Dei clarescit, quasi oculis vera ratione perspecta, et fiducia credulitatis suae catenus inter homines prestans, quatenus astra reliqua sol luminis majestate agnoscatur præcellere. » Pythagorae sententia est, accedendo ad Deum effici unumquemque optimum. Xenophon, lib. VIII *Pediae Cyri*, Cambysen filio suo Cyro ad Astiagen avum proficiscenti, ita loquentem facit: « Hoc unum precipue commendo, idque tanquam pretiosum thesaurum a patre donatum in tua memoria perpetuo recondi cupio: Dei esto amicus, in eundem plus, nihilque aggrediaris nisi Dei numine impetrato, imbecilla enim est et hebes mortalium natura, nil Dei sapientiam latet; omnia ex sententia eius cedunt, quibus illa praesto est. » Quae paterna admonitio tam alle filii animo inedit, ut non

absque admiratione passim lectoribus inoleat Xenophon, qua pietate Cyrus deos colerit, et quo studio ac diligentia operam dederit, ut nos volis, precibus, sacrificiis placaret. Ciceron, *orat. De Aruspicum resp.*: « Quam, inquit, volumus, licet P. C. ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec caliditate Paenos, nec artibus Graecos, nec denique hoc ipso hujus gentis a terra domestico nativoque sensu Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione atque hac sapientia quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus. » Valerius Maximus, lib. I, cap. 1: « Omnia, ait, post religionem ponenda semper nostra civitas duxit, etiam in quibus summae majestatis conspici deus voluit, quapropter non dubitavit sacris imperia servare: ita se humanarum rerum futura regimine existimantia, si divine potentiae bene atque constanter fuissent famulata. » Et eodem in loco: « Non mirum igitur, si pro ejus imperio augendo custodiendoque pertinax deorum indulgentia semper excubuit, quod tam serupulosa cura parvula quoque momenta religionis examinari videtur, quae nunquam remotos ab exactissimo cultu caeremoniarum oculos habuisse nostra civitas existimanda est. »

Porro omnia praecipua regibus danda his duobus concludantur: Memento quod es homo: memento quod est Deus, iudex et vindex. Prius ad refræandam eorum potentiam, posterius ad voluntatem pertinet.

28. FECIT DUOS VITULOS AUREOS. — Fecit Jeroboam vitulos potius quam arietes vel equos, quia vitulum aureum patres Iudeorum conlarant et adorant in deserto, idque ad similitudinem Apis, quam specie vituli vel bovis colerant in Aegypto, *Exodi xxxii, 4*. Vide ibi dicta. Unde contra hos vitulos detonat Osee, ceterique Prophetae. Hinc enim hisdem verbis hic utitur Jeroboam, quibus usierant majores ejus, *Exodi xxxii*, dicendo: « Hi sunt dii tui Israel, qui te educerunt de terra Aegypti. » De his multa dixi in Osee et Prophetis. Rursum Jeroboam fugiens Salomonem ivit in Aegyptum ad Sesae regem, ibique vidit colli (et forte ipse ad conciliandam sibi gratiam Sesae, coluit) Apin specie vituli: unde mortuo Salomone rediens in Judaeam, faciensque schisma a Juda et Jerusalem, crexit vitulos aureos quos viderat colli in Aegypto, ut Aegyptiorum auxilium fretus resisteret Roboamo et Judaeis.

29. POSUITQUE UNUM IN BETHEL, ET ALTERUM IN DAN, — quasi in duobus regni sui limitibus: Bethel enim erat limes Israelis ad Meridiem; Dan vero ad Austrum. Rursum, Bethel erat locus celebris, et sacer ob visionem Dei in scala exhibitam Jacobo patriarchae, *Genes. xxxii*, indeque dicta est « Bethel, » id est « Domus Dei; » sed Jeroboam, ex Bethel, id est « domo Dei, » fecit *Bethaven*, id est « domum iniquitatis, » et idoli, ut ait Osee. Bethel nume

ponitur in tribu Benjamin, nunc in tribu Ephraim, unde multi putant duas fuisse Bethels, atque hic intelligi eum, que est in Ephraim: hujus enim rex erat Jeroboam. Alii tamen cum Adrichomio unam eandemque censent fuisse Bethel, que nunc Benjamin, nunc Ephraim attribuitur, eo quod sita esset in confinio utriusque tribus, aut quod hæc una ex Benjamin adhereret Jeroboam permiseritque apud se collocari hoc idolum vituli.

30. ET FACTUM EST VERBUM HOC (id est res hæc; est metonymia) IN PECCATUM, — *q. d.* Occasione horum vitulorum Jeroboam totus Israel lapsus est in idololatram, illosque ut deos suos adoravit. Quare gravissime peccavit Jeroboam peccato non tantum idololatricæ, sed et scandali, quia causa fuit, cur totus Israel deinceps usque ad sui exitium, vitulos huc quasi idola et deos suos colerit per annos 236, quibus novemdecim reges Jeroboam secuti, ejus vitulos coluerunt.

31. ET FECIT FANA (vitulorum et idolorum delubra, non sacra, sed profana et sacrilega) IN EXCELSIS, — montibus et collibus, in quibus idololatricæ solebant idola sua collocare et adorare.

ET SACERDOTES DE EXTREMIS POPULI, — *q. d.* Non ex tribu Levi, ut statuerat Deus, sed ex qualibet alia vilissimos homines constituit sacerdotes suorum vitulorum et idolorum. Ita profanantes religionem profanant cætera omnia. Sed id debet vilissimos vitulos, ut vilissimos haberent sacerdotes. Fuit ergo hoc justum Dei judicium. Sic et heretici hoc ævo ministros suæ hæresis insipientes constituerunt cordeos, sutores, apostatas et quisquillos hominum. Dignum tali patella operculum.

Sane Aristoteles ex mero lumine naturæ et philosophiæ, lib. VII *Polit. ix*, præcipit, ut homines viles non constituantur sacerdotes, propter honorem qui religioni et majestati divinæ debetur. Vide ergo unum eundemque utrobique spiritum diaboli, qui, quia contemptor sacrorum, ea omnia ad villatam tradidit, ut irideat et omni-

bis irridenda proponat, utque eos sensim deducat ad atheismum, ut nihil credant, nequeque animæ immortalitatem, gehennam et omne omnem, uti hoc ævo multos hæreticos fieri videmus atheos, ut sapienter advertit et annotavit Cardinalis Hosius.

Audi Tertullianum, lib. *De Præscript. adversus hæreticos*, cap. XII: « Ordinationes eorum temerarie, leves, inconstantes, nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obliget quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castis rebellium, ubi ipsum esse illic, promovari est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus: nam et laici sacerdotalia munera injungunt. »

32. CONSTITUITQUE DIEM SOLEMNEM IN MENSE OCTAVO, QUINTA DECIMA DIE MENSIS IN SIMILITUDINE SOLEMNITATIS QUE CELEBRABATUR IN JUDA, — scilicet festi Tabernaculorum, quod Judei ex Dei decreto celebrabant die 15 mensis septimi; sed Jeroboam ex proprio cerebro illud transtulit in diem 15 mensis octavi, ne videretur Judeos sequi, sed ipse esse auctor novi festi æque ac novæ religionis et novorum deorum, sed ridiculorum, scilicet vitulorum. Quid enim stolidius vitulo? utique non aliud, nec aliud quam is, qui vitulos irrationales at rationales habet, ac eis rationem, providentiam et divinitatem attribuit.

33. ET ASCENDIT SUPER ALTARE UT ADOLERET IN CENSUM, — Vide hic ut Jeroboam ex uno peccato schismatici, labatur in profundum scelerum. Arrogat enim hic sibi non tantum regnum, sed et pontificatum, seseque facit pontificem et caput Ecclesiæ. Nam ut pontifex, adolet incensum, festa instituit, sacerdotes consecrat, fana ædificat. Ita Josephus. Quare in Jeroboam recte torques illud Senesii Episcopi, epist. 401 ad *Fylothenem*: « Alla ratione in foro vere ditescere non licet, nisi empta et divina et humana jura confundas, et pro ingenio veterator evadas. »

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Propheta altari Jeroboam scissionem, et occidit per Josiam regem inlentat. Jubet eum capti Jeroboam; sed manus ipsius exarsit, quam illi veniam presanti restituit Propheta, qui contra fessum Dei comens eum alio propheta in Bethel, rediens domum a leone occiditur.

1. Et ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare, et thus jaciente. 2. Et exclamavit contra altare in sermone Domini, et ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, et ossa hominum super te incendunt.

3. Deditque in illa die signum, dicens: Hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, et effundetur cinis qui in eo est. 4. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se. 5. Altare quoque scissum est, et effusus est cinis de altari, juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini. 6. Et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat. 7. Locutus est autem rex ad virum Dei: Veni mecum domum ut prandeas, et dabo tibi muera. 8. Responditque vir Dei ad regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto. 9. Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec revertaris per viam qua venisti. 10. Abiit ergo per aliam viam, et non est reversus per iter quo venerat in Bethel. 11. Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii sui, et narraverunt ei omnia opera que fecerat vir Dei illa die in Bethel: et verba que locutus fuerat ad regem narraverunt patri suo. 12. Et dixit eis pater eorum: Per quam viam abiit? Ostenderunt ei filii sui viam per quam abierat vir Dei, qui venerat de Juda. 13. Et ait filiis suis: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, ascendit. 14. Et abiit post virum Dei, et invenit eum sedentem subtus terebinthum: et ait illi: Tunc es vir Dei qui venisti de Juda? Respondit ille: Ego sum. 15. Dixitque ad eum: Veni mecum domum, ut comedas panem. 16. Qui ait: Non possum reverti, neque venire tecum: nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto. 17. Quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini, dicens: Non comedes panem et non bibes aquam tibi, nec revertaris per viam qua ieris. 18. Qui ait illi: Et ego propheta sum similis tui, et angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, et comedat panem, et bibat aquam. Fefellit eum. 19. Et reduxit secum: comedit ergo panem in domo ejus, et bibit aquam. 20. Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum. 21. Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Juda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, et non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus. 22. Et reversus es, et comedisti panem, et bibisti aquam, in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non infereret cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum. 23. Cumque comedisset et bibisset, stravit asinum suum propheta, quem reduxerat. 24. Qui cum abiisset, invenit eum leo in via, et occidit: et erat cadaver ejus projectum in itinere: asinus autem stabat juxta illum, et leo stabat juxta cadaver. 25. Et ecce viri transeuntes viderunt cadaver projectum in via, et leonem stantem juxta cadaver. Et venerant, et divulgaverunt in civitate, in qua prophetes ille senex habitabat. 26. Quod cum audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, et confregit eum, et occidit juxta verbum Domini quod locutus est ei. 27. Dixitque ad filios suos: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, 28. et ille abiisset, invenit cadaver ejus projectum in via, et asinum et leonem stantes juxta cadaver: non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum. 29. Tulit ergo prophetes cadaver viri Dei, et posuit illud super asinum, et reversus intulit in civitatem propheta senis ut plangeret eum. 30. Et posuit cadaver ejus in sepulcro suo, et planxerunt eum: Heu! heu! mi frater. 31. Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cum mortuus fuero sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est: juxta ossa ejus ponite ossa mea. 32. Profecto enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare quod est in Bethel, et contra omnia fana excelsorum, que sunt in urbibus Samariæ. 33. Post verba hæc non est reversus Jeroboam de via sua pessima, sed e contrario fecit de novissimis

populi sacerdotes excelsorum: quicumque volebat, implebat manum suam, et fiebat sacerdos excelsorum. 34. Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, et eversa est, et deleta de superficie terra.

1. ET ECCE VIR DEI (propheta a Deo missus ad nascentem idololatram Jeroboam castigandam et comprimendam) VENIT DE JUDA (ex Judaea) IN SERMONE (instinctu et jussu) DOMINI IN BETHEL. — Propheta hic a Josepho « Jaddon » vocatur; a S. Hieronymo, II Paral. x, « Jaddo; » ab Hugone, Lyrano, Dionysio, Serario et Sanchez, « Addo, » qui II Paral. ix, 29, dicitur scripsisse gesta Salomonis in visione quam habuit contra Jeroboam. Verum cum noster hic propheta statim a visione et prophetia sua contra Jeroboam occisus sit a leone, non videtur habuisse tempus et vitam ad scribenda gesta Salomonis, uti habuit Addo, qui insuper scripsit gesta Abia, filii et successoris Roboam, ut patet II Paral. xiii, 22; quare non potuit esse is, de quo hoc cap., utpote qui initio regni Roboam occisus est. Addit S. Hieronymus et Glossa in cap. I Zachar. vers. 1: Addo hunc fuisse avum Zachariae prophetae, qui ibidem nominatur. Verum inter Addo hunc et Zachariam hunc fluxere anni plusquam quadringenti. Verisimilius est quod ait Epiphanius in *Vitis Prophetarum*, sub initium prophetam hunc fuisse « Joam » (quem Theodoretus et Glycas vocant « Joel »), qui ibidem ejus vitam ex hoc cap. xiii describit. Denique Tertullianus, libro *De Jesuitis contra Psychicos*, cap. xvi, eum vocat « Semeiam. » Sic et Clemens Alexandrinus, lib. I *Strom.* cap. 1, eum nuncupat « Semeiam, » filium Amame.

2. ALTARE, ALTARE, HEC DICIT DOMINUS: ECCE FILIUS NASCETUR DOMUI DAVID, JOSIAS NOMINE, ET IMMOLABIT (inactabit) SUPER TE SACERDOTES EXCELSORUM. — Edita est haec prophetia de Josia rege trecentis annis ante ejus nativitatem, simulque ejus nomen est editum, scilicet quod vocaretur « Josias, » id est « salus Dei, » quia ipse idola everrens, fidem veri Dei ejusque salutem omnibus attulit. Sic Isaias, cap. xlv, vers. 1, ducentis annis ante Cyrum ejus nomen edidit, et de eo plura praecleara vaticinatus est, quae Judaeis postea ostendentes Cyro, ab eo liberationem e Babylone obtinuerunt, teste Josepho.

3. HOC ERIT SIGNUM, QUOD LOCUTUS EST DOMINUS: ECCE ALTARE SCINDETUR. — Signum hoc edidit Propheta, non sub Josia, sed hoc ipso tempore cum Jeroboam in eum extenderet manum, ut dicitur vers. 8.

4. ET EXARUIT MANUS EJUS. — Audi S. Chrysostomum, homil. *in verba Isatae*: « Christus, inquit, cum ipse quidem in faciem colaphis caederetur, in servum qui colaphum impergerat, nihil durius fecit: Jeroboam vero cum extensa manu conaretur apprehendere prophetam, a quo coarguebatur, manus illi exaruit. Per haec te erudiens, ut quae tibi ipsi imbecillitate cum mansuetudine fe-

ras; quae vero in Dominum ingeruntur, multa cum vehementia ulciscaris. »

6. ET REVERSA EST MANUS REGIS AD EUM. — Causam dat S. Ambrosius, lib. II *De Virg.*, ad finem: « Rogavit, inquit, veniam, statimque manus ejus, quae aruerat sacrilegio, sanata est religione. Tam maturum in uno misericordiae divinae, et indignationis exemplum exsistit, ut sacrificanti subito dextera adimeretur, poenitentia venia daretur. »

Porro Prophetae hic tria insignia miracula patravit: primo enim, scidit altare, ut Jeroboam videret illud a Deo velut sibi exosum, scindit et dirumpi: secundo, manus ejus contra Prophetam extensam obrigit; tertio, illa per proces Prophetiae sanata est. Et tamen Jeroboam haereticus a sua heresi et idololatia non respuit, sed in ea mansit obfirmatus et obduratus. Mira ergo fuit ejus caecitas, durities et malignitas.

9. NON COMEDES PANEM, NEQUE BIBES AQUAM, NEC REVERTERIS PER VIAM QUAE VENISTI. — Jusserat hoc Prophetae Deus ad detestationem idololatriae, ut ipso facto ostenderet Bethelitas idololatrias adeo esse detestabiles, et a Deo quasi excommunicatos, ut nullam fidelibus cum eis cibi vel potus, imo nec vitae communionem habere velit. Jussit ergo eum in reditu aliam inire viam, quasi via in Bethel ob ejus idola esset polluta et execranda, nec ullo modo revisenda. Adeo severe vehebat Deus ei comedere in Bethel, ut, si a Jeroboam conjectus fuisset in carcerem, debuisset potius mori fame, quam cibum a Bethelitis oblatum sumere. Figura haec erat Ecclesiasticae censurae, et excommunicationis, qua Ecclesia velat cum excommunicatis communicare et cibum sumere, ut illi honorum consortio exclusi confundantur et respiciant. Ita S. Cyrilianus, *epist. 75*; Lucifer Calaritanus, lib. *De non comediendo cum haereticis*; et ex his Rupertus, lib. V, cap. vi, et Abulensis hic, *Quest. VIII*; quare hoc eis maleficum non est, sed beneficium, uti fuit ipsi Jeroboam, de quo Josephus: « Rex, ait, miratus viri continentiam, eo magis de se cepit esse sollicitus, ex his quae viderat et audierat, parum felicem rerum suarum exitum augurans. »

11. PROPHETAS AUTEM QUIDAM SENEX HABITABAT IN BETHEL. — Chaldaeus, *propheta falsus nomine Michal*, etc. Josephus quoque eum vocat *pseudopropheta*. Sic et S. Gregorius, Rupertus, Angelomus, Eucherius, Lyranus, Hugo, Dionysius, Cajetanus et alii. Unde nonnulli opinantur eum fuisse idololatram et vatem diaboli. Abulensis vero fidelem fuisse putat, sed malum et impium. Verum id redargunt sequentia, arguuntque eum fuisse fidelem et prophetam Dei, non pseudopropheta, eo quod, ut ait Theodoretus, « Deus per insum

predixit homini Dei, id quod esset eventurum, et quod crederent ea quae praedicta fuerant de Josia, et quod filiis suis mandavit, ut, cum decessisset, se cum ejus corpore sepelirent. » Quae omnia ostendunt eum fuisse fidelem et pium. Vocatur ergo a S. Gregorio, Ruperto et aliis jam citatis *pseudopropheta*, id est mendax propheta, quia mentitus est, dicendo sibi ab angelo revelatum esse Deum velle ut secum cibum sumeret. Theodoro consentit S. Augustinus mox citandus, S. Hieronymus, Serarius, Tornielius, Sallianus et alii.

18. ANGELUS LOCUTUS EST MIHI IN SERMONE (jussu) DOMINI, DICENS: REDUC EUM TECUM IN DOMUM TUAM, UT COMEDAT PANEM. — Mentitur hic propheta, ut aliam prophetam ad prandium deducat. Videbat enim eum de via fessum, famescemem et sitientem nolle in Bethel comedere nec bibere, sed jejunium redire: quare motus compassione, ex studio hospitalitatis virum Dei ad hospitium suum invitavit, et per mendacium quasi compellit. Sic subinde viros religiosos caribus vinoque abstinentes deceptum saeculares, ut carnis liquatas sub olebris absconditas comedant. Cum agerem in Belgio, exstitit quidam eremita ob simplicitatem cognominatus Joannes Simplex, qui in monasterium B. Virginii dicatum veniens, vinum a procuratore oblatum recusavit, dicens se profiteri jugem a vino abstinentiam. Unde procurator eum fallens: « Dabimus ergo tibi, inquit, lac B. Virginis nostrae, jussisque ei aliud vinum suavius apponi: Bibe, inquit, lac a B. Virgine tibi propinatum loco vini quod respuit. Quod ille ut gustavit valde ex hilaratus: Utinam, inquit, in eremo nostra tale lac haberemus, cum vinum non bibamus.

Verum fuit intempestiva et imprudens prophetae hujus hospitalitas; nam alteri prophetae mortem peperit; sed id ipse ignorabat: quare venialiter tantum peccavit; atque officiosum fuit ejus mendacium duntaxat, non perniciosum.

Porro permisit id Deus, ut prophetiae suae veritatem prophetae ipsius inobedientis, et contra jussum suum in Bethel cibum sumentis morte sanciret, ut ex ea cognosceret Jeroboam, eum verum fuisse prophetam a Deo missum ac minas ab eo sibi intentatas vere obventuras.

Nota: Josephus quem sequitur Glossa, et Abulensis censent hunc prophetam ex mal. dolo invitasse prophetam, ut eum faceret mer. lacem vel perderet. Audi Glossam: « Iste pseudopropheta princeps erat sacerdotum, et valde a rege colebatur tanquam divinus; timens autem ne per sermone viri Dei rex ab idolorum cultura recederet, et se tanquam maleficum interoceret, excogitavit ut virum Dei deciperet satis acute agens ut dum transgrediretur praecipitum Dei, illius iram incurreret; sicut postea fecit, cum magis homini quam Deo credidit; ac per hoc monstratur esse falsa, quae praedixit; sique regi per-

suadere prorsus sicut fecit. » Verum prius quod dixi, longe verius est (1).

19. FUGAVIT EUM ET REDUXIT SECUM: COMEDIT ERGO PANEM IN DOMO EJUS. — Peccavit hic propheta, quia nimis facile et lenem credidit alteri prophetae mentienti Deum revocasse suum praecipitum ei datum de non comedendo in Bethel: debuisset enim magis eum ejusque oraculum suo contrarium examinare. Cum enim Deus ipse ipsimet clare jussisset non comedere in Bethel, non debebat credere alteri prophetae, dicenti Deum hoc praecipitum revocasse. Poterat enim et debebat cogitare: Deus mentiri nequit; hic homo mentiri et fallere potest: cur ergo Deo meo relicto credam homini mendaci? cur pro certo incertum et dubium amplectar? Certo enim mihi constat, Deum absolute mihi vetasse comedere in Bethel: quare hie homo dicens contrarium a Deo esse decretum, utique de fraude, et de mendacia suspectus est. Nam, ut notat Abulensis, Deus omnia quae praecipit ejus supervenire possunt, praevidet et praecogitat. Quare in ejus praecipis non est utendum interpretatione et opitika: secus est in mandatis hominum: qui omnia futura praevidere nequeunt, ideoque patiuntur epikiam.

Fuit autem hoc ejus peccatum veniale duntaxat, quia prophetam credidit esse veracem non mendacem. Unde ob peccatum a leone quidem occisus est; sed corpus ejus quasi sancti a leone integrum intactumque servatum est. Ita S. Augustinus mox citandus, Eucherius, Angelomus, Cajetanus, Sallianus, Serarius et alii.

CUMQUE SEDERENT AD MENSAM, FACTUS EST SERMO DOMINI AD PROPHETAM, QUI REDUXERAT EUM. — Propheta in mensa peccans per inobedientiam, comedensque contra jussum Domini, in mensa pariter punitur, et a Deo sententiam mortis accipit, idque ab hospite suo, puta a propheta qui eum seduxerat et invitarat, « ut inde penam veraciter sumeret, unde culpam negligenter admisit, » ait S. Gregorius, et ex eo Eucherius et Angelomus.

24. QUI CUM ABUISSET, INVENTUM EUM LEONEM IN VIA ET OCCIDIT, — puta suffocavit, vel morsu interemit; at non devoravit, sed corpus integrum servavit: ita punitus fuit a Deo propheta, ut Jeroboam ex hac ejus punitione cognosceret, ipsam verum fuisse prophetam. Ipse enim inter alia dixerat sibi a Deo mandatam non comedere in Bethel, ut ostenderet quam odisset Bethel. Nota: Deus hic peccatum veniale duntaxat punit morte, quia ipse summus est vite necisque omnium Dominus; secus est de principe et iudice, qui debet peccata pro sui merito proportionaliter punire, gravia

(1) Existimant tamen plurimi istum hominem Hoc vero prophetam, fuisse sceleratum et callidum; sceleratum quidem, quia cum sciret prophetam aliud a Deo habuisse praecipitum, ut quid gustaret in Bethel, reteretque viam quam ante decurrisset, decepti tamen hominem parum cautum, et plus satis credulum, quem primum in peccatum, deinde in corporalem mortem induxit.

graver, leviter. Unde lex humana peccata venialia morte punire nequit. Sic Deus Moysen ob peccatum veniale incredulitatis punivit morte in deserto. *Numer. xx.* Sic uxor Loth, quia respexit retro, quod tantum veniale fuit peccatum, exanimata est, et in statu salis conversa. *Genes. xix.* Ita Cassianus, *Collat. VII, cap. xxv,* et S. Thomas, *III part. Quæst. VIII, art. 2, ad 3.*

Moraliter S. Chrysostomus, in *Psal. III:* « Sicut, inquit, canis aut quelibet fera, quam homo beneficis cicuravit, sibi que in omnibus obsequentem reddidit, si vultum simulat alienum, aut proprium nutet vel obsecret fuligine, puta, aut cæno, aut colore non proprio, non minus illum allatrat morsuque appetit domesticus canis, aut lacerat mansuetus leo, quam si esset alienus. Sic, inquit Chrysostomus, quia propheta iste per inobedientiam vultum fuliginis fœdaverat, non agnovit leo tanquam dominum suum, atque ideo tanquam alienum interfecit. Longe aliter sese leones habere cum Daniele, cum tamen essent in lacu famelicis, quia in eo talem invenarunt speciem et vultum, qualem venerari et osculari jussi sunt: neque enim fœdaverat aut mutaverat faciem fuligine peccati, sicut hic propheta, qui vultu prius puro ac candido, inobedientiæ sterco aut cœno aspersit. »

Rursum S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovin.* « Qui, inquit, jejuniis miracula fecerat, pransus illico saturitatis penas luit. » Denique S. Brigida, lib. V *Revel. Inter. XIV, Quæst. I,* querenti cur subinde justi mala morte, injusti bona morte moriantur? Christus respondit: « Quandoque justis flebilis exitus contingit ad majus eorum meritum, ut qui semper per vitam in virtutibus fuere solliciti, per mortem contemptibilem liberi evolvant ad cœlum; » atque exemplum affert hujus propheta a leone occisi.

ASINUS AUTEM STABAT JUXTA ILLUM, ET LEO STABAT JUXTA CADAVER. — quasi custos cadaveris viri sancti, æque ac asini ipsius: quare prædo factus est prædæ sue custos. Hic ergo Deus prophetae sanctitatem ostendit: nam, ut ait Theodoretus, « eum honoravit post mortem, quia occiderem (leonem) ei induxit custodem: hæc quidem ratione honorans, ut prophetam; illa vero puniens ut transgressorem, et eos qui nunc sunt terreni, ut ne parva quidem Dei mandata despiciant. » Pergit Theodoretus, et post eum Procopius, ex hoc loco ostendere quantum Deus corporum sanctorum habeat curam, ut etiam leones eis custodes apponat. Leo ergo qui fuit carnifex vivi, factus est defensor mortui, ut qui pro inobedientia cæsus cœnebatur, pro penitentia salvus crederetur. Ita Lyranus; ponens enim pro culpa, mortem a Deo missam patienter excepit.

Audi S. Augustinum, lib. *De Cura pro mort.* cap. vii: « Hactenus enim voluit Dominus servum suum plectere, qui non sua contumacia speraverat præceptum ejus inoleare, sed aliena decipiente falla-

cia obedire se credidit, quando non obedivit. Neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestie, ut ad supplicium tartareum ejus deinde anima raperetur; quandoquidem ipsum ejus corpus, idem leo qui occiderat ostendit, jumento etiam, quo vehebatur, illaso, et simul cum illa immani fera intrepida presentia ad sui domini funus astante. Quo mirabili signo apparere, hominem Dei coercitum potius temporaliter usque ad mortem quam puniunt esse post mortem. »

Audi et S. Gregorium, *IV Dial. xxiv:* « Sedit leo juxta asinum, et non comedit de cadavere. Ex qua re ostenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum, quia idem leo, quem viventem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadavere comedendi licentiam non accepit: quia is qui culpabilis in vita fuerat, puniunt inobedientiæ erat jam justus ex morte. Leo ergo qui prius peccatoris vitam necaverat, custodivit postmodum cadaver justus. »

Eadem ex S. Gregorio transcripserunt Eucherius et Angelomus, qui et addunt morale documentum, neminem se alicujus virtutis æstimare debere, licet quid fortiter gesserit: nam hic propheta permissus est labi et occidi, qui gloriabatur se regem Jeroboam contempsisse et increpasse. Simile exemplum S. Eremitæ ob levem culpam a Deo lethali morbo percussi, et tamen multa miracula patransis recenset Cassianus, *Collat. VII, cap. xxvi.*

29. TULIT ERGO PROPHETA CADAVER VIRI DEI, — *Vers. 12* ut honorifice sepeliret et de more plangeret, præsertim, quia ipse necis ejus per mendacium fuerat causa. Unde ex sequentibus liquet prophetam hunc fuisse fidelem et piunt, qui per præposteram hospitalitatem seduxerat prophetam. Quare Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. II, valde a narratione S. Scripture discrepat et aberrat, dum ait quod pseudopropheta hic regem Jeroboam miris et miraculis prophetae territum volentemque ab idolis respiscere, in idololatria confirmavit, ac miracula prophetae apud eum elevarit et confularit. « Alebat enim, inquit Josephus, præ lassitudine manum ejus obtorpuisse dum altari inferret victimas, ac deinde post quietem, vigorem pristinum recepisse. Altare quoque recentis etiam tum structure, quod tot ac tantarum victimarum molem non ferret, disruptum concidisse. Postremo valis mortem indicat, a leone esse necatum: adeo nihil divinum, nec in vita, nec in verbis ejus fuisse. His diebus regi persuasit, et mentem ejus a Deo et justis ac piis operibus in totum aversam, in extremam impietatem præcipitavit. In tantum enim posthac contra omne jus ac fas debauchatus est, ut nihil aliud quereretur quam quomodo in dies magis ac magis semelipse novis sceleribus superaret. » Verum hæc a narratione S. Scripture in seq. aliena sunt et quasi contraria.

ET REVERSUS INTULIT IN CIVITATEM PROPHETA SE-

nis, — id est in civitatem suam, puta in Bethel, ut patet *vers. 22,* ipse enim erat « propheta senex, » qui eum suo mandato seduxerat, ideoque eum a leone occisum sepelivit et planxit.

31. CUM MORTUUS FUERO, SEPELITE ME IN SEPULCRO, IN QVO VIR DEI (propheta a leone occisus) SEPULTUS EST. — Id jussit hoc fine, ne ossa sua cremarentur a Josia: omnia enim cærorum, utpote idololatrarum, sepulcra effodit, et ossa in Bethel combussit Josias, excepto sepulcro prophetae, qui contra Jeroboam hic detonerat, et Josiam ejus idola et idololatra eversurum prædixerat, ut patet *lib. IV Reg. cap. xxiii;* quare in ejus sepulcro sua quoque ossa sepeliri voluit, ut ossa ejus servarentur intacta.

33. QUICUMQUE VOLEBAT IMPLERAT MANUM SUAM, (leo et victimis, curando scilicet manus suas ab alio sacerdote inungi, seque consecrari, ac manu sua victimas in consecratione offerri solitas offerendo. Unde sequitur: et hoc ritu) FIEBAT SACERDOS EXCELSORUM. — id est vitulorum, qui in excelsis monte Bethel erecti adorabantur. Jeroboam enim expulit Levitas et sacerdotes Aaronicos, qui

proinde cum cæteris Israelitis fidelibus idola Jeroboam detestantibus profugerunt in Jerusalem ad Roboam, ejusque regnum firmarunt, ut dicitur *II Paralip. xi, 13.*

34. ET PROPTER HANC CAUSAM PECCAVIT DOMUS JEROBOAM (peccatum grande idololatriæ, quia scilicet vitulos aureos erexit, ad eosque adorandos compulsi totum populum), ET (ideoque) EVASIT EST ET DELETA DE SUPERFICIE TERRÆ. — quasi de terra funditus abrasa, ut nemo ex ea remaneret superstes, ut patet *cap. seq. vers. 10.*

Nota hic veram causam interitus et excidii familiarum etiam regalium, qualis fuit Jeroboam, esse idololatriam, hæresin, et scelera cætera ex ea consequentia; idque toto hoc libro, et quarto sequenti, per exempla omnium regum Israel, qui Jeroboam in idololatria vitulorum æque ac in regno secuti sunt, ostenditur. Ubi mira eorum eccitas liquet, quod cum audirent hæc Dei minas, ac reipsa eas in Jeroboam cæterisque antecessoribus suis impleri viderent, ipsi tamen quasi demerati, eorum idololatriam secuti sint; ideoque ipsi pariter cum suis familiis a Deo excisi sint.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Uxor Jeroboam adiens Ahiam prophetam pro salute filii, dicit ab eo Dei minas excipit. *Moz, vers. 29,* reliqua gesta tam Jeroboam, quam Roboam recensentur.

1. In tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam. 2. Dixitque Jeroboam uxori suæ: Surge, et commuta habitum, ne cognoscaris quod sis uxor Jeroboam: et vade in Silo, ubi est Ahias propheta, qui locutus est mihi, quod regnatus essem super populum hunc. 3. Tolle quoque in manu tua decem panes, et crustulam, et vade ad illum: ipse enim indicabit tibi quod eventurum sit puero huic. 4. Fecit ut dixerat uxor Jeroboam: et consurgens abiit in Silo, et venit in domum Ahia: at ille non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus præ senectute. 5. Dixit autem Dominus ad Ahiam: Ecce uxor Jeroboam ingreditur ut consulat te super filio suo qui ægrotat; hæc et hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, et dissimularet se esse quæ erat, 6. audit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis per ostium, et ait: Ingredere, uxor Jeroboam, quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te dorus nuntius. 7. Vade et dic Jeroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quia exaltavi te de medio populi, et dedi te ducem super populum meum Israel: 8. et scidi regnum domus David, et dedi illud tibi, et non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo; 9. sed operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et confaltiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum: 10. ideoque ecce ego inducam mala super domum Jeroboam, et percutiam de Jeroboam migentem ad parietem, et clau-mala super reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet sum, et novissimum in Israel: et mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet finis usque ad purum. 11. Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli: quia Dominus locutus est. 12. Tu

igitur surge et vade in domum tuam : et in ipso introitu pedum tuorum in urbem morietur puer, 13. et planget eum omnis Israel, et sepeliet : iste enim solus inferretur de Jeroboam in sepulcrum, quia inventus est super eo sermo bonus a Domino Deo Israel, in domo Jeroboam. 14. Constituit autem sibi Dominus regem super Israel, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, et in hoc tempore : 15. et percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aqua : et evellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, et ventilabit eos trans flumen : quia fecerunt sibi lucos, ut irritarent Dominum. 16. Et tradet Dominus Israel propter peccata Jeroboam, qui peccavit, et peccare fecit Israel. 17. Surrexit itaque uxor Jeroboam, et abiit, et venit in Thersa : cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, 18. et sepelierunt eum. Et planxit eum omnis Israel juxta sermonem Domini, quem locutus est in manu servi sui Ahia propheta. 19. Reliqua autem verborum Jeroboam, quomodo pugnaverit, et quomodo regnaverit, ecce scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel. 20. Dies autem, quibus regnavit Jeroboam, viginti duo anni sunt : et dormivit cum patribus suis : regnavitque Nadab filius ejus pro eo. 21. Porro Roboam, filius Salomonis, regnavit in Juda. Quadraginta et unius anni erat Roboam, cum regnare cepisset : decem et septem annos regnavit in Jerusalem civitate, quam elegit Dominus ut poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israel. Nomen autem matris ejus Naama Ammaicitis. 22. Et fecit Judas malum coram Domino, et irritaverunt eum super omnibus quae fecerant patres eorum in peccatis suis quae peccaverunt. 23. Edificaverunt enim et ipsi sibi aras, et statuas, et lucos, super omnem collem excelsum, et subter omnem arborem frondosam. 24. Sed et effeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominaciones gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel. 25. In quinto autem anno regni Roboam, ascendit Sesac rex Aegypti in Jerusalem, 26. et tulit thesauros domus Domini, et thesauros regios, et universa diripuit : scuta quoque aurea, quae fecerat Salomon : 27. pro quibus fecit rex Roboam scuta aerea, et tradidit ea in manum ducum scutiarum et eorum qui excubabant ante ostium domus regis. 28. Cumque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui praeceundi habebant officium, et postea reportabant ad armamentarium scutiarum. 29. Reliqua autem sermonum Roboam, et omnia quae fecit, ecce scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda. 30. Fuitque bellum inter Roboam et Jeroboam cunctis diebus. 31. Dormivitque Roboam cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David : nomen autem matris ejus Naama Ammaicitis : et regnavit Abiam filius ejus pro eo.

1. EGROTAUIT ABIA FILIUS JEROBOAM, — puniēte Deo idololatriam Jeroboam per morbum et mortem filii.

COMBUTA HABITUM (ut deposita regali veste plebeiam induas, abasque sola sine comitatu) NE COGNOSCARIS QUOD SIS UXOR JEROBOAM, — ne scilicet Ahias, qui mihi regnum delitit cum obligatione servandi veram fidem cultumque Dei, videns me exersisse vitulos aureos in idola, te et me acriter objurget aut repellat, nec responso dignetur. Hanc uxorem Septuaginta Romana asserunt fuisse sororem regine Aegypti natu majorem, eamque vocant Aho; Lucifer Calaritanus, *De Regibus Apostaticis*, vocat Amam. Ita Serarius et Sallianus.

3. ET CRUSTULAM, — Chaldaeice, et *placentas*; Septuaginta, et *colytia*; Vatablus, *dulciarios panes*; Gallice, *des gauffres*: nam solebant illis imprimere formam quamdam in qua erant foramina. Hebraice enim *קרידין nichudin* significat *punctata*,

puta liba vel crustulas punctis notatas et distinctas. Regina haec munera non regia, sed plebeia et rusticana (qualem se simulabat) offert, scilicet panes, placentas, vas mellis.

6. EGO AUTEM MISSUS SUM AD TE DURUS NUNTIUS, — ut denuntiem filium, pro quo me consultis morturum, et alias longe majores clades Dei jussu infiligam : quia Jeroboam deo fuit durus et refractarius : duro autem nodo durus quaerendus est cuneus.

10. ET PERCUTIAM DE DOMO JEROBOAM INGENTEM AD PARIETEM, — id est omnia masculum : son enim masculi ad parietem miungunt, ait Elias in Thesba. Aut potius, *q. d.* Occidam omne vivens in domo Jeroboam, usque ad canem, ut ne canem vivum in ea relinquam : soli enim canes elevata tibia parietem aqua sua conspergunt, *q. d.* Ne canibus quidem paream. Ita Theodoretus, Vatablus, Serarius.

ET CLAUSUM, — id est carcere conclusum, vel domi abditum.

ET NOVISSIMUM, — id est ultimum, qui scilicet usque ad finem belli relictus fuerit, *q. d.* Reliqui omnes tandem peribunt. Aut « novissimum, » id est vltimissimum, abjectissimum. Hac phrasi utitur Scriptura cum omnes omnino vult significare, *q. d.* Helebo omnes reliquias et quisquillas tuae familie. Simili modo Deus occidit omnes primogenitos Aegypti, « a primogenito Pharaonis usque ad primogenitum captivae quae erat in carcere, » *Exodi XII, 29.*

ET MUNDABO (scopabo, scopis evertam, evertam) RELIQUAS DOMUS JEROBOAM, SICUT MUNDARI SOLET FINUS (Chaldaice *stercus*) USQUE AD PURUM, — ut nil fimi remaneat, sed totum domus pavimentum sit purum.

12. IN IP SO INTROITU PEDUM TUORUM IN URBEM MORIETUR PUER, — ut pateat a Deo per me mortem filio intentam et immissam ob tua et tui mariti idola, ideoque gravior doleatis, quod vestri filii fueritis quasi parriidae. Sic Valens Imperator morbum filio suo ob Arianismum immissum depulit per preces S. Basilii; at mox vocans Arianos ad eum visendum, eundem perdidit.

13. ILLE ENIM SOLUS INFERRETUR DE JEROBOAM IN SEPULCRUM, QUIA INVENTUS EST SUPER EO SERMO BONUS A DOMINO. — Aliqui putant filium hunc aliquid boni gessisse, ob quod meruerit apud Deum sepulturam, v. g. quod fideles euntes in Jerusalem ad adorandum Deum in templo, ire permisit. Ita Rabbinus. Verum filius hic erat puer, ut dictum est vers. 12. Melius alii, non filii, sed alicujus domestici meritis id attribuunt; hoc enim significat *in domo Jeroboam, q. d.* Aliqui e familia Jeroboam nonnulla bona fecerunt, ob quae Deus eos remunerabitur haec mercede, ut filius hic Jeroboam sepultura digna donetur. Ita Vatablus.

14. CONSTITUIT DOMINUS DEUS ISRAEL (QUI PERCUTIET DOMUM JEROBOAM IN HAC DIE, ET IN HOC TEMPORE, — hoc est brevi, post paucos dies, post modicum tempus. Pro in hoc tempore, Hebraei ad verbum habent, et quid? etiam nunc, *q. d.* Quin imo ex nunc, ex hoc instanti incipiam percutere Jeroboam, occidendo filium ejus parvulum aegrotantem. Aliter Vatablus, *q. d.* Quid nunc? id est quantula et quam parva est haec pena et tribulatio, praeter illis quae regi Jeroboam parantur in futurum, puta in gehenna? Aliter quoque Chaldaeus qui vertit: *Interminabit domum Jeroboam eum qui vivit hodie, et etiam qui gignetur ex nunc et ultra.*

15. ET PERCUTIET DOMINUS DEUS ISRAEL, SICUT MOVERI SOLET ARUNDO, — *q. d.* Deus percussit regem Jeroboam, ejusque populum Israel assidue ab omnibus partibus undequaque, sicut assidue ab omnibus ventis acutur arundo, ut nulla ei sit requies, sed continuis hostium incursionibus, depredationibus, preliis conquassetur, donec cadat et intereat.

RUFUM, VENTILABIT (id est in omnem ventum disperget, ac per quatuor mundi ventique plagas dissipabit) NOS (ISRAELITAS) TRANS FLUMEN, — scilicet Euphratem, qui erat terminus terrae Judaeis promissae. Id reipsa praestitit, cum sub Osee ultimo rege decem tribus abductae sunt a Salmanassar in Assyriam anno 6 Ezechiae regis, uti audimus cap. XVI et XVII.

QUIA FECERUNT SIBI LUCOS, — puta sylvas arboribus consitas, umbrosas, amoenas et memorosas, in quibus more Gentium sua colebant idola, quibus hosce lucos dicebant. Unde in iis comessando, inebriando, fornicando serviebant Baccho et Priapo, ut patet cap. XV, vers. 13. Causas alias lucorum affert Plinius, lib. XII, cap. 1: « Haec, ait, fuere quondam numinum templa, priscoque ritu simplicia rura; etiam nunc Deo praecellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos et in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata, perpetuo servantur, uti Jovi esculus, Apollini laurus, Minervae olea, Veneri myrtus, Herculi populus. Quin et sylvanos faunosque et deorum genera sylvas, ac sua numina non secus ac caelo attributa credimus. »

Causas vero cur Deus lucos adeo venerit, recenset Philo, lib. *De Monarch.*: « Primo, inquit, quoniam verum Dei templum non amenitates postulat, sed severam castimoniam. Deinde quia non est fas illic importare quae faciunt ad virorem arborum, hoc est brutiorum et hominum excrementa. Tertio, quia sylvestris materiae nullus est usus, cum sit, ut poeta loquuntur, telluris inutile pondus: fructifera autem arbores param cordatis et pios ab intentione animi religioequae sacris debita retraherent. Praeterea condensa sylvarum maleficis conveniunt ex latebris securitatem et insidiarum occasionem querentibus: at patentia et oculis exposita loca, quae introgressi et videti ab aliis et videre alios possunt, sacris maxime apta sunt et accommodata. »

16. ET TRADET DOMINUS ISRAEL (hoc est Israelē, puta decem tribus in manus hostium, scilicet Assyriorum), PROPTER PECCATA JEROBOAM. — Nota hic quatuor plagas gravissimas, quibus Deus castigavit idololatriam publicam Jeroboam. Primo enim praedicit filium ejus puerum moriturum. Secundo, ipsum periturum cum omnibus posteris, idque cum infamia, ut careant sepultura atque a canibus et feris lanientur. Tertio, regnum a Jeroboam, ejusque familia ad alium regem transferendum. Quarto, totum populum in captivitatem abduendum.

19. RELIQUA AUTEM VERBORUM (id est factorum est metonymia) JEROBOAM, etc., SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM (factorum) DIERUM REGUM ISRAEL, — puta in Annalibus, Chronicis et Diaribus, in quibus scribebantur gesta regum populique Israel per singulos dies. Aliqui putant hunc librum esse librum Paralipomenon; sed errant, quia hic liber

citatur in libro Paralipomenon, quare ante librum Paralipomenon eque ac ante libros Regum (nam in his hic et alibi citatur) conscriptus est. Vide Abulensium, Proem. in lib. Paralip.

21. PORRO ROBOAM. — finitis gestis Jeroboam primi regis Israel, transit ad gesta Roboam primi regis Juda.

UT Poneret nomen suum ISI. — « Nomen, » id est nominis sui cognitionem, fidem, cultum, adorationem eque ac celebratam, famam, gloriam, miracula, oracula, etc. In Jerusalem enim erat templum, sacerdotes, pontifices et prophetae, qui populum in Dei fide cultuque instruerent et promoverent.

NOMEN AUTEM MATRIS EJUS NAAMA AMMANITIS, — nimirum soror aut filia Sobi, quem David loco Hanon bello victi regem Ammonitarum constituerat, qui proinde ut arctius sibi Davidem devinceret, petiit, ut Naama daretur uxor Salomoni filio Davidis, ut dixi II Reg. xvii, 27. Concessit id David, eo quod Naama ad Judaismum se converti velle diceret; sed Vatablus et Emmanuel Sa, alique suspicantur fictam et simulatam fuisse ejus conversionem, adeoque ipsam in corde mansisse gentilem, et deorum suorum culticem; imo ad eorum cultum Roboam filium suum traduxisse: atque hanc fuisse causam invalescentis in Juda idololatriæ. Idcirco enim statim hic scribitur Scriptura: « Et fecit Judas malum coram Domino, etc. » Edificaverunt enim, et ipsi sibi aras, et statuas, et lucos. » Dicant hic Principes, quam periculosum sit et Deo ingratum ducere filias infidelium vel hæreticorum, licet dicant se velle ad fidem converti: hoc enim dicunt ob spem regni vel principatus; quia difficile est ut heresim, quam a puero imbibuerunt, serio ex animo eradicent. Hinc et David ducens Maacha filiam regis Gessur, et ex ea genuit Absalomem. At qualis fuit Absalom? utique fratricida et patricida, quia in necem patris cum toto Israele conjuravit. Porro Absalomis filia vel nephis fuit Maacha, que hoc nomen ab avia, puta matre Absalomis accepit, fuitque uxor Roboam, atque avia idololatriam et scelera imitata, facta est ipsa, vel potius ejus soror aut nephis, princeps et sacerdotissa sacrorum Priapi, quam providè Asa filius loco movit, ut audiemus cap. seq. vers. 13. Propago ergo idololatriæ eque ac heresim (uti ex S. Hieronymo ostendi II Timoth. iii, 6), facta est per feminas, utpote novitatis amantes et in suo sensu pertinaces.

22. ET FECIT JUDAS MALUM. — puta idola, que antonomastice vocantur « malum, » sive « peccatum, » quia ipsa summum sunt scelus. Nota Roboam primis tribus regni sui annis, cum sua tribu Juda in fide et cultu veri Dei perstitit: sed iis clapsis, illam deseruit, variasque effeminatum spurcitas permisit: qua de causa Deus in sum anno regni sui quinto immisit Sesac regem Ægypti, qui Ierosolymam cepit et spoliavit, que omnia patent ex seq. et ex II Paral. cap. xi, vers. 17,

et cap. xii. Causa idololatriæ fuit partim maler Roboam, puta Naama jam dicta; partim uxor Maacha, de qua vers. 24; partim vicina idololatriarum: omnes enim Gentes in circuitu, ac præsertim decem tribus Israel colebant idola, ac multæ eis ex florebant pace, opibus, deliciis, atque Judæos sibi vicinos illiciebant ad sua idola colenda, promittentes eis a diis suis similem rerum abundantiam.

24. SED ET EFFEMINATI FUERUNT IN TERRA. — *g. d. Vers. 1.* Idololatriæ permittente Roboam constituerunt Iupanaria, non tantum meretricium, sed et puerorum meritoriorum, seu scortorum masculorum, catamitorum, ad præposteram et execrandam libidinem, qualia constituit impius Simon, II Machab. iv, 9.

Ece fructus idololatriæ, eque ac heresim, est libido, eaque infamis et horrenda; hæc enim colunt spurci demones, quos in idolis adorabant, ut homines ad omnem spurcitiam omneque scelus impellant, ad Dei creatoris sui injuriam, eque ac ad ejus offensam et vindictam concitantam.

25. IN QUINTO AUTEM ANNO REGNI ROBOAM (ponente *VERS. 25.* Deo ejus apostasiam et idololatriam) ASCENDIT SESAC REX ÆGYPTI IN JERUSALEM. — cum sexaginta milibus equitum et pediatum innumerebilibus ex Ægyptiis, Libyis, Troglodytis et Ethiopibus collecto, ut dicitur II Paralipom. xii, 3. « Sesac » Herodotus apud Josephum vocat « Sesostrim, » a Diodoro, lib. I, vocatur « Sesoosis, » qui et addit columnas ab eo in Palestina erectas, quibus insculpta erant genitalia mulierum, ut notaret incolarum libidinem, et per effeminationem et ignaviam, quasi qui virilitatem amiserunt, ac pavidi instar feminarum non fuissent ausi arma capere, et sibi resistere. Videtur hic Sesac cognatus fuisse Roboam: nam ejus pater Salomon duxerat filiam Pharaonis, cujus in regno Ægypti Sesac videtur fuisse successor et filius (1).

26. ET TULIT THESAURUS DOMUS DOMINI, etc. — *VERS. 26.* Sesac diripuit Jerusalem, non tamen eam evertit, tum quia in Jerusalem inventa sunt opera bona penitentive, scilicet religiosiis, deprecationis, sacrificiorum, elemosynarum, quibus viri pii eva-

(1) D. Champollion-Figeac, vir in encyclopaedia hieroglyphica regionem montuosam figurantia, id est Judæam. Porro iste Sesonchis non est, ut arbitrati sunt Bossuetus et Neuvius, Sesostris, utpote nullo antiquior, sed rex Ægypti a Manethone Sesonchis et a Eubia Sesac nuncupatus, et iste rex Juda a Sesonchi devotus non potest esse nisi Roboam, ut fasces videtur in Epistolis de Ægypto et Arabia, a Champollion-Figeac scriptis, Parisiis, Didot, 1833; apud Annates Philosophie Christianæ, tom. VII, pag. 156, tom. VIII, pag. 113; et in opere a Cardinale Wiseman edito, cui titulus: *Relationes inter scientias et religionem revelatam.*

I-OU-DA-HA-ME-LA-K

id est Juda Rex; que inscriptio posita erat supra signa hieroglyphica regionem montuosam figurantia, id est Judæam. Porro iste Sesonchis non est, ut arbitrati sunt Bossuetus et Neuvius, Sesostris, utpote nullo antiquior, sed rex Ægypti a Manethone Sesonchis et a Eubia Sesac nuncupatus, et iste rex Juda a Sesonchi devotus non potest esse nisi Roboam, ut fasces videtur in Epistolis de Ægypto et Arabia, a Champollion-Figeac scriptis, Parisiis, Didot, 1833; apud Annates Philosophie Christianæ, tom. VII, pag. 156, tom. VIII, pag. 113; et in opere a Cardinale Wiseman edito, cui titulus: *Relationes inter scientias et religionem revelatam.*

sionem deprecati sunt a Deo, II Paral. xii, 12, tum quia rex Roboam videns Sesac vastare Judæam, cum suis respicit dicens: « Justus est Dominus, » ut dicitur II Paral. xii, 6, ubi et additur: « Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeam dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, aboquo eis paucillum auxilii, et non stillabit furor meus su-

per Jerusalem per manum Sesac. Veruntamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis mæe, et servitutis regni terrarum: » quid scilicet intersit inter servire Deo et servire homini, puta Sesac regi. Deus enim suos servos dilat et exultat, Sesac vero deprimit et spoliat. Fecitque ibidem de Roboam vers. 14, dicitur: « Fecitque malum, et non preparavit cor suum ut quæreret Dominum. »

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Impio Roboam succedit filius impius Abiam, huic pius filius Asa, qui vers. 12, misertur idola et effeminatos, ac Maacha matrem suam sacerdotissam Priapi. Asa pio succedit pius filius Josaphat, vers. 24. Ierosolyma vero impio regi Israel succedit impius filius Nadab, quem Baasa occidit, statuantque ejus familiam succidit.

1. Igitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filii Nabat, regnavit Abiam super Judam. 2. Tribus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Maacha filia Abessalom. 3. Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, qua fecerat ante eum: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus. 4. Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Jerusalem, ut suscicaret filium ejus post eum, et statueret Jerusalem. 5. Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus que præceperat ei cunctis diebus vite sue, excepto sermone Uriæ Iethai. 6. Attamea bellum fuit inter Roboam et Jeroboam, omni tempore vite ejus. 7. Reliqua autem sermonum Abiam, et omnia que fecit, non hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? Fuitque prælium inter Abiam et inter Jeroboam. 8. Et dormivit Abiam cum patribus suis, et sepelierunt eum in civitate David: regnavitque Asa filius ejus pro eo. 9. In anno ergo vigesimo Jeroboam regis Israel regnavit Asa rex Juda, 10. et quadraginta et uno anno regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Maacha, filia Abessalom. 11. Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus: 12. et abstulit effeminatos de terra, purgavitque universas sordes idolorum, que fecerat patres ejus. 13. Insuper et Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et in loco ejus, quem consecraverat: subvertitque speculam ejus, et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron. 14. Excelsa autem non abstulit. Veruntamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis: 15. et intulit ea que sanctificaverat pater suus, et voverat in domum Domini, argentum et aurum, et vasa. 16. Bellum autem erat inter Asa et Baasa regem Israel cunctis diebus eorum. 17. Ascendit quoque Baasa rex Israel in Judam, et edificavit Rama, ut non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Asa regis Juda. 18. Tollens itaque Asa omne argentum et aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, et in thesauris domus regie, dedit illud in manus servorum suorum: et misit ad Benadad filium Tabremou filii Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens: 19. Fœdus est inter me et te, et inter patrem meum et patrem tuum: ideo misi tibi manera, argentum et aurum: et peto ut venis, et irritum facias fœdus quod habes cum Baasa rege Israel, et recedat a me. 20. Acquiescens Benadad regi Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israel, et percusserunt Abion et Dan, et Abeldommum Maacha, et universam Ceneroth, omnem scilicet terram Nephtali. 21. Quod cum audisset Baasa, intermisit edificare Rama, et reversus est in Thersa. 22. Rex autem Asa nuntium misit in omnem Judam, dicens: Nemo sit excusatus, et tulerunt lapides de Rama